

Meritoria causa Mariane immunitatis Christus D.

illius merita. Hæc scilicet Mariane immunitatis meritoria causa, Christus servus, Christus factus obediens usque ad mortem. Servivit ille, ut ancillam præservando, liberam redderet, ut servus factus efficeret Dominam. Et dubitamus adhuc redemptionem præservantem tateri, eamve Redemptori adscribere? sunt qui ut Christi, servum agentis, perfectissimam illam obedientiam ex hoc Isaia loco maxime commendent, non immerito asserant, Hebraicè vocatum fuisse servos meos, ut transtulit Vulgatus, amplificationis causa (cujus tropi multa videlicet exempla apud nostros Riberam in Michææ c. 5. 2. Zachariae 6. 31. & Pinedam in Eccl. c. 10. v. 18.) quia videlicet unus cum esset, talis tamen, tamque obediens extitit, ut pro omnibus fuerit, quantumvis obsequentissimis servis; imò omnium quidem inobedientias suâ ipse obedientiâ compensando suppleverit. Certè Hebraea vox, si puncta submoveas, utriusque numero, singulari & plurali, servare potest. Liberum igitur fuit, Vulgato & LXX. Interpretibus, indifferentem, Hebraicam vocem, quam sine punctis ipsi legebant, aut servos meos, aut servum meum, transtulisse, eodem tamen explicato sensu, qui obedientiam Christi Domini, servi expeditissimi commendat.

2057 Ut non disperdam totum. Rectè non totum; nam una ob Christi merita immunitas evasit Dei Mater jure summo, omni gratiarum benedictione cumulatiflima, ne totum Adami genus periisset. Hanc mihi hæc verba red-

dunt sententiam superioribus addita: ut non disperdam totum: LXX. ut non disperdam omnes. Mariane immunitas, & incolumitas generalis totius Orbis salutem quodammodo attulisse significatur. Immunitas Deipara præservata est, ne omnes disperiremus. Ave (inquit S. Basilius Seleuchiae Archiepiscopus in Orat. de Incarnat. Verbi) qui inter Deum & homines mediatrix intercedens efficit, ut interiectus inimicitia paries tandem aliquando evertatur, terrenaque celestibus conjungantur. Et S. Ephrem. Orat. de Mariae laudibus: Ave progenitoris illius Adam resurrectio. Ave jucunda libertas. Ave omnium parens. Ave flos gratiae. Et infra: Ave Mundi mediatrix gloriosissima. Ave universi terrarum Conciliatrix. Ave Christianorum omnium firma salus. Accedit S. Andreas Jerosolymitanus Patriarcha Sermon. in Deiparae salutationem. Salve verè benedicta: salve electa à Deo antequam gentia. Salve divina cum hominibus reconciliatio. Salve sancta Virginis tellus, ex qua novus Adam ineffabili fictione formatus est, qui veterem salutem restitueret, &c. Sic Patres Deiparam, utpote à peccato immunem, expiationis humanae adiutricem Deo fuisse docent. Nam utrumque conjungunt, & Orbis per illam reconciliationem, & hunc ad finem ejusdem immunitatem, quod verba Andreae & Ephrem. perspicue significant; ut inde Isaia vaticinio splendor concilietur, & sub vineæ metaphora nostro Ecclesiastico.

Mariae immunitas generalis totius Orbis salutem attulit.

PARS QUARTA

A Versu 24. usque ad 32.

Quæ & Synagogæ, & Ecclesiæ Orthodoxæ cultoribus amplissimum totius gratiæ, & gloriæ thesaurum in JESU, & MARIA demonstrat, copiosè ab illis in omnes affluentem.

Verf. 24. Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei.

Verf. 25. In me gratia omnis viæ, & veritatis: in me omnis spes vitæ, & virtutis.

ARGUMENTUM.

Omnia omnium Credentium sanctitas à Christo, & Deipara.



Ræmonstratâ jam Ecclesiæ amplitudine, ac numerosâ Christianorum sobole, quos ramos suos honoris & gratiæ, flores fructusque honestatis vocitarunt Jesus & Maria; nunc Siracides pergit ulterius demonstrare, quodnam sit totius sanctitatis repositorium, vel potius fons & scaturigo, unde gratiæ promanent universæ. Chri-

stum demonstrat, ac Deiparam: à quibus Fides, Spes, & Charitas, omnisque supernaturalis virtus unâ cum gratia sanctificante infusa ad piè sancteque vivendum; nec non æternæ Beatitudinis gaudia in nos copiosè derivantur.

SECTIO I.

Textus enodatur, & moraliter illustratur.

2058 Observo imprimis, illos duos Versus non haberi in Aldi Codice, neque in Basiliensi & Romana editione, neque

Varab.

Druſi.

neque in manuscriptis: reperiuntur tamen in Complutensi, Vatabli, Drusii, & aliorum, & quod plus est, in nostra Vulgata semper nobis firmiter retinenda, ut quæ fideliori usâ exemplari. Vatablus sic extulit: Ego pulchræ Charitatis, ego religionis, & cognitionis, speique sancta mater sum: do autem æterna (vel æternos fructus, ut est in margine) liberis meis, quibus Deus jussit, simul omnibus. In me omnis gratia viæ, veritatisque: in me omnis spes vitæ, & præsidii. Partim distant reliquæ translationes. Illa autem verba addita priori versiculo: do autem æterna liberis meis &c. obscura sunt, & ab aliis apud Drusium ita leguntur: Communico autem cum liberis meis omnibus semper futuris, qui dicuntur ab eo. Obscurus quidem. Drusius verò effert: Do autem unâ cum omnibus meis natis sempiternas (laudes) iis, quæ ab eo dicuntur. Adhuc tenebræ. Clarè transtuleris cum eodem Drusio: Tribuo eis æternos fructus dictos, id est, promissos ab illo, scilicet Deo. Quò facit Vatablus, qui subaudit rapus, id est, fructus. Verba hæc superaddita, cum absint à nostra Vulgata, parum premenda, nisi claritatis gratiâ, ut explicetur, qua ratione Incarnata Sapientia dicatur Mater illarum virtutum, quia scilicet elargitur suis æternos harum virtutum fructus, de quibus etiam dixerat verf. 23.

2059 Pro pulchræ dilectionis, Græcè est τὸ ἀγαπᾶσθαι τὸν θεόν. Significat verò ἀγαπᾶν charitatem, dilectionem, benevolentiam, affectionem: imò in Judæ Epist. v. 12. sumitur pro epulis, seu convivio, ubi dilectio, & charitas splendet, maxime si pauperibus refocillandis destinetur: hi sunt in epulis suis, Græcè ἀγάπαι. Et in lib. Conciliorum Sacrorum ἀγάπαι τούτων, est, convivium pauperibus dare. Vocula autem ἡλως, significat honestum, decorum, pulchrum, bonum, præclarum, egregium; eximium nempe illud, quod a virtute profiscitur. Itaque reddi potest, Ego mater pulchræ, honestæ, bonæ, decoræ, præclaræ egregiæque dilectionis, amoris, charitatis, benevolentiae: vel etiam epularum, convivii.

2060 Pro illa verf. 25. vocula viæ, quæ habetur in priori membro, alii codices habent; viæ, atque ita legunt multi passim: An sit viæ, vel vitæ legendum, non constat ex textu ullo Græco: utrum retineri potest, sed pluris habenda Biblia Romæ correctâ, ubi priori illius verf. 25. loco pro viæ, legitur vitæ. Si bis retineatur viæ, de vita gratiæ, & de vita gloriæ explicari potest: si semel viæ legatur, de viæ erit sermo ad veritatem, cui conjungitur: In me gratia omnis viæ & veritatis. Ubi dictio omnis & ad gratiam, & ad genitivum viæ referri poterit: In me omnis viæ gratia.

Restat exquirendum, quid pulchræ dilectio hic sit, quid timor, quid agnitio, quid gratia viæ & veritatis, quid spes vitæ & virtutis. Existimo planè, sermonem esse in priori Versu de tribus Theologicis virtutibus, Fide, Spe, & Charitate; timor enim illis adsociatur, quia five filialis sit, five servilis, comes est Spei individui, imò illius effectus, ut ait S. Thomas 2. 2. quæst. 7. art. 1. & 2. In posteriori versiculo de gratia agitur sanctificante, & æternæ Beatitudinis gloria, ac reliquis virtutibus. De singulis seorsum dicendum, intermixtâ interim morali illustratione.

De pulchra Dilectione, qua & nihil pulchrius, & pulchri reddimur.

2061 Cum dilectio sit summum fidei Sacramentum, ut loquitur Tertullianus lib. de Pat. c. 12. cum primiceria inter reliquas virtutes extet, ut S. Antiochus Hom. 2. scribit, illam propterea Siracides noster in primis commendat. Pulchram, honestam, bonam, præclaram, & egregiam appellat Charitatem Theologicam, quia in rem pulchram, honestam, præclaram, & egregiam Charitas tendit, nempe Deum, sive rem amatam propter Deum: cumque Deus summa pulchritudo sit, summa erit divinæ charitatis speciositas, nihil eâ pulchrius est. Origenes Hom. 2. in Cantica jaculum formosum charitatem vocat. Fulbertus Carnotensis Episcopus 70. Speciosam charitatem dixit. Sed egregiè Werricus apud Godofridum in Allego-VVerricus ad hunc Ecclesiastici locum: Pulchræ autem ac propriè dicta est pulchra dilectio, cum charitas Deus sit, ac per hoc summa pulchritudo sit: quia virtus ista ferè tota pulchritudo Ecclesiæ. Alludit ad ea Joannis verba i. Joan. 4. Epist. 1. cap. 4. verf. 16. Deus charitas est; 16. & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Ad quem locum Bernardus Serm. 71. in Cantica: Consensio quedam hæc est, ut sint duo in uno Spiritu, imò unus Spiritus sint.

2062 Hinc fit, ut pulchra hæc charitas a deo pulchros nos reddat, ut possimus cum Deo ipso de pulchritudine contendere. Etenim amoris esse id proprium veteres tradidere Sapientes, amantem in dilectum transmutare, ita ut qui diligeret, in amato viveret. de quo S. Thomas 1. part. quæst. 27. art. 3. in Corpore. Subinde S. Augustinus Tract. 2. in Epist. Joannis: Talis quisque est, qualis ejus dilactio est. Terram diligis? terra es. Deum diligis? Quid dicam? Deus eris. Et Tom. 10. Serm. 28. de Tempore: Homines mali mundus vocantur; inde acceperunt nomen ex eo, quod amant: amando Deum, efficiuntur Dei. Consonat Plato lib. 6. de Republica: Fieri potest, ut illud non imitetur aliquis, cui cum amore admirandus adhaeret. Quare cum Philosophus divino atque decoro frequenter adhaereat, divinus ipse, atque decorus, quoad hominè possibile est, efficitur. Pulchra igitur Charitas, cum nos Deo summè pulchro intimè conjungat, & quodammodo agglutinat, ita nos pulchros reddit, ut summè pulchri propemodum simus, sicut ipse Deus, sed ille per essentiam, nos per gratiam.

2063 Habes apud Salomonem Cant. 5. veluti in artificiosissima, & accuratissima tabula depictam aptissimis similitudinibus pulchritudinem sponsi à Sponsa sua, decoram nempe speciem Christi Domini, & quæ Deus, & quæ homo est, Speciosus forma patris filii hominum. Candidum & rubicundum, illum describit; caput ejus aurum optimum; capillos retortos, cincinnatos, nitidos, refulgentes; oculos columbinos; genas floridissimas; labia rosea fragrantissima; manus tornatiles aureas, gemmeas; ventrem eburneum sapphiris distinctum; crura quasi columnas marmoreas aureis basibus innixas; pulcherrimum denique ac decorè procerum sicut cedros libani. Quid pulchrius? Summa hæc pulchri-